

186
rum, quae morte sua nobis acquisivit. Unde dependet finis, &
fructus sacri hujus convivii. Ostendit igitur Christus verbis illis
complementum sacrificiorum V. T. & imprimis etiam agni paschalis,
in sua passione & morte. Et quia in V. T. ex sacrificiis convivium institue-
bantur: quod diligenter notavit D. Paul. 1. Cor. 10. v. 18. Itemque agnus
paschalis, antequam comederetur, mactabatur, & preparabatur cer-
to ritu, Exod. 12. v. 6. & seqq. ideo affirmat Christus, se tanquam vi-
ctimam in arâ crucis offerendum Deo, ut ipsius corpore nos vescamur.

49. Eodemque modo de sanguine dicitur, quod effusus sit in
remissionem peccatorum. Vbi notanda comparatio propositionis Chri-
sti & Mosis Exod. 24. v. 8. quae reperitur, Hebr. 9. v. 20 Hic est san-
guis fœderis, τὸ τοῦ αἵματος τῆς διαθήκης.

Officium
panis & vi-
ni in S. cœ-
na.

50. Ex dictis patet, officium sacramentale panis, &
vini in sacra cœna esse, non ut inserviat fami & siti sedanda, & refi-
cienda & confirmanda vitæ corporali (qui finis est communis epuli:
neque in prima cœna locum habebat, quia iam erant cœnati Apostoli:
ac proinde D. Paulus: Si quis esurit, inquit, dormi manducet, 1. Corint.
11. vers. ult.) sed ut per verbum Christi à communi usu, panis
hic, & hoc vinum separatus, & sanctificatus, atque destina-
tus, ad usum sublimiorem & sacrum, inserviat distributio-
ni, & perceptioni corporis & sanguinis Christi: juxta verba
institutionis, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. & D. Paul. 1. Cor. 10. v.
16. & c. 11. Hoc est, ut brevissime dicam, panis & vinum in cœna per
verbum Christi sanctificantur & benedicuntur, ut sint media, orga-
na, & instrumenta distribuendi & percipiendi corporis & sanguinis
Christi.

51. Evertitur ergo error Calvinistarum, symbolis illis ex-
ternis in sacra cœna attribuentium officium significandi, & adum-
brandi corporis & sanguinis Christi: unde enascitur analogia & xé-
sis sacramentalis, ab ipsis tantoperè commendata. Cui hoc loco (alibi
enim ex professo oppugnanda, & expugnanda erit) oppono sequentem
syllogismum: